

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

rum quod Philippum attinet, etsi maluissem locum habere in patria, cum tamen occasio per divinam vocationem sic tulerit, ut præstare operam frugiferam & primitias donorum suorum, quæ accepit insignia, consecrare Deo in Styria possit, non dubito id facturum, cum insigni suo & Ecclesiæ fructu. Simul etiam remittet citius invidia, & forte desiderabitur paulo post ardentius, sicut nosti comparata esse hominum ingenia. Wislandus à te commendatus, eo usque jam profecit, post datum triplex privatum & unum publicum disputando specimen, ut sit ad actum admissus à Jurisconsultorum ordine; is celebrabitur 25. hujus, quo peracto recta arbitror ad vos se conferet. Piscator autem alter, quem pariter virum optimum & doctissimum judico, sua sponte differt, quo procursum temporis recolligere studia possit, & tutius deinde examinum aleam subire; apparet in eo viro summa modestia cum pietate conjuncta, & habetur nostris Jureconsultis gratissimus, nec defuturos illi etiam socios arbitror. D. Obrechtus sic sua obivit, ut amplissimum accuratæ doctrinæ testimonium à nostris referat, à me certe, virtutum, candoris, pietatis summum, idque meritissimo suo, cui ut gratulor coronam virtutibus dignam, & reditum in patriam, ita doleo à familiari conversatione nostra ipsum avelli. Utinam vero idem in patria potius deinceps perseverate, quam novam in Italiam peregrinationem suscipere instituat, quia mature velim ipsam suis inservire, qui prodesse plurimum, propter singularem industriam, prudentiam, gravitatem & suavitatem potest, & quia ejus valetudini timeo, quæ facile Italico aëre & victu debilitari queat, cum eadem in Gallia etiam non parum detrimenti eidem attulerint. De rebus nostris copiose deferet omnia, nec est, ut eum commendem tibi, quem & tui amantissimum & commendatissimum tibi pridem esse novi. Sed bene vale in Christo Jesu cum uxore & tota familia, in primis L. Erasmo & collegis. Salutant te, Coccius, Fieglinus, amanter Scripsi Basileæ, 16. Maji, Anno 74.

T. d. totus ut semper

S. Sulcerus.



CLXVI.

Salutem in Christo.

L iteras tuas, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater honorande, 18. Aprilis scripras accepit, ex quibus summa animi voluptate perecepi, post brevissimi temporis collationem tuum animum nunc quietum, ut cogites, pro donis tibi a Domino egregiis concessis, officium facere in Schola & Ecclesia, & gubernationem Deo committere.

Q. q. 3

mittere.

mittere, cum videas, humanis consiliis non regi, aut infelicitate regi. Quo nomine non solum tibi, Scholæ & Ecclesiæ gratulor, sed etiam Deo æterno Patri Domini nostri Jesu Christi gratias ago, & eundem oro, ut peccatus tuum confirmet, adversus improborum insultus, tuque feliciter in proposito perseveres & procedas. Quod ad Sturmianam actionem attinet, optarim, eam quoque esse pie & sancte compositam & ejus causâ, ut omnia facias, quæ potes facere, te per Christum oro; habes optimum Virum & Collegam syncerum, M. Fabri, cujus opera tanquam pastoris uti poteris. Eum ego etiam rogavi, ut vobis, tanquam suis auditoribus, in hoc negotio pia modestiâ impeteret, in cæteris revereatur & colat. Eum, tanquam me, fratrem tuum, audies, & admonitiones fraternas ut sequaris, per Christum Jesum oro. Poterit, ut spero, is quoque tuo adversario sua pietate imperare, & ejus naturam vincere, ut Schola & Ecclesia vestri consensus fructum sentiat. Quod D. D. Pappus ex eo tempore te non accessit, vehementer miror. Sed oro te per Christum, cum in aliis me longè inferiorem audieris, in hoc quoque admonitionis meæ meminisse velis. Tuus est, eum etiam invitum tuum retineas. Unde *lasset euch nicht verdriessen/ Ihu die Gollensfeder aufflösen/ Er mus sich noch mehr/ dann einmahl/ Zungen;* tunc beneficia tua agnoscat, gratus erit, & conversus, id est, stultitiam suam agnoscens, confirmabit fratres alios idem facientes. Possunt enim in hac ætate Doctor & alius in una persona concurrere. Quod te denuo Medicis crucifigendum tradidisti, condoleo ex animo. Arbitror enim, artes novas in podagra curanda respondere promissis Alchymistarum, qui ex ferro aurum promittunt. Sed ut res sese habeat, firmam & bonam valetudinem à Domino Jesu Christo tibi opto, ut quam diutissime Ecclesiæ & Scholæ servire queas. Vehementer mihi quoque probatur & tua & filiorum tuorum modestissima voluntas, quam ego semper suasi, & senties, temporis successu te non modo quod optas, sed etiam majora impetraturum.

Neque etiam te moveat, non successisse consilium cum M. Davide, eique extraneum prælatum. Non enim hæc fortuito eveniunt, & inveniet ipse quoque locum suum, postquam ejus studia probè firmata fuerint. Juvenis pius, modestus, studiosus, qui mihi commendatus semper fuit & permanebit. Quemadmodum alter quoque, M. Heckelius, qui mihi à D. D. Sulzero nullas literas attulit, quod mirabar. Sed propter commendationem à te allatam præstabo illi omnia grata officia. Ad Heidelbergenses quod attinet, tractabo illos pro dignitate brevi, sed nervoso & perspicuo scripto, & illorum impietatem toti terrarum orbi patefaciam. Exegesis Voglini confutavit D. D. Selneckerus, qui superioribus diebus ad me de statu Ecclesiæ Saxonice Wittenbergensis scripsit. D. D. Cracovius ab officio est remotus, & domi suæ in arresto. Capitaneus Calvinistarum Lipsiæ, Camerarius, (verba sunt Selneckeri) mortuus est. D. Peucerus etiam domi suæ constrictus, sicuti & D. Stöckelius. Concionator, Christianus, atlicus captivus adhuc & propediem aliquid futurum

rum

rum scribit D. D. Selnecker. Dominus Jesus Electoris animum confirmet, & totam actionem suo Sancto Spiritu regat.

Responsum ad literas Electoris Palatini cruentas nulli communicare audeo, sed argumentum ejus in refutatione mea recitabitur. Speramus post Serenitatem Electoris Saxonici, etiam ipsum mitiorem futurum. Sin aliter fecerit, non deerunt, qui vicissim pro veritate asserenda officium faciant. Est sane Spiritus cruentus, neque enim pejora à Papistis meruo, quam nunc ab Electore Palatino. Sed vita mea in manu Domini est, cui commendo & me & causam ipsam. Si me interfecerit Zvinglianus, non occidet Papista.

D. D. Varenbillero tuas quoque literas exhibui legendas, cui cum vehementer probarentur, rogavit me, ut ipsius quoque nomine tibi scriberem, ne patiaris tibi unquam contrarium persuaderi, sed in proposito constanter perseveres, habiturus nos amicos & fautores tuos. Inprimis vero meminisse jubet, quæ de juvenili affectu D. Pappi tibi diximus. Aliud enim vix cadit in illam ætatem. Age quæso, ne tibi pereat labor, quem in illo evehendo & ornando impendisti, cujus te nunquam penitebit, ut maximè tibi ingratus esset. Bene & feliciter vale. Refalutant te reverenter omnes mei Collegæ. Plurimam salutem quoque meo nomine dicas filiis tuis, & D. M. Fabri, viro optimo & doctissimo; qui unà & cum filiis tuis, Juvenibus doctissimis, baculus senectutis tuæ erit. Est enim pius, prudens, eruditus, modestus, gravis. Iterum vale. Salutem quoque Tuæ honestissimæ mea conjux adscribere jussit. Raptim Tubingæ, 23. Maji, 1574.

Commendo etiam tibi hunc bonum virum, qui ad me commendatus venit, sed, ut scis, apud nos propter maximum numerum stipendiatorum locus esse non potest.

Tuus totus & in Domino frater

Jacobus Andreæ.

CLXVII.

Quanta calamitas impendat Germaniæ, pro prudentia tua facile conjicis, quam ipsi nobis accersimus, dum bellis alienis nos implicamus; Nam quod nos attinet Helvetios, Hispano & Gallo persecutoribus veritatis jungimur, idque non solum Papistæ, sed non pauci ex iis, qui Evangelium sunt professi, ordinum Evangelicorum subditi, licet contra Magistratum suorum edicta & prohibitiones, Palatinus Belgarum & Gallorum suasu, dum filiis concedit domi exteros invadere, expeditiones suscipere, cladem pro successu experitur & Monarcharum, ipsiusque Cæsaris, indubiè contra se indignationem